B. N. C
FIRENZE
1002
12

by Google

1002. 12

Digitized by Google

SVMMVLISTA MINOR

Majori Lectori Philoſophiæ Dominicano.

REVERENDE PATER LECTOR,

Quàm benè dixit Pater de Alva in Nodo ſuo Indiſſolubili, quòd præſtitiſſet ſi libellus tuus intitulatus, *Auctoritas D. Thomæ Aquinatis quinti Eccleſiæ Doctoris, Nodo Indiſſolubili per R. Admodum P. Petrum de Alva & Aſtorga nuper revincta, nunc verò ſoluta, &c.* fuiſſet divulgatus ſub nomine alicujus Laici, ſeu Fratris Converſi; ne non ſolùm Doctiores tui Ordinis viri, ſed nec Philoſophiæ veſtræ Profeſſores cenſerentur ignari: quia profectò in Philoſophia, non tantùm quoad Summulas, ſed etiam quoad Nodos ſeu argumenta conſtantia tribus funiculis, te ignarum (non dicam ignariſſimum, quia forſitan Grammaticam ſuggillares) oſtendis. Non temerariè te propono ut ignarum, antequam viderim tuum libellum, & ſignanter tuum proludium inſcriptum, *Ad Patrem Petrum de Alva & Aſtorga*: nec talem judico ex ſolo nomine, quòd videlicet ſolùm Philoſophiæ Profeſſor ſis; ſed attendo ad Summulas tuas & Syllogizationes, per quas indoctiſſimè *ad ſtuporem*, corrigis & doces Lectorem Jubilatum, docendus ipſe & corrigendus, Philoſophiæ Thomiſticæ Lector, non à Lectore Jubilato, ſed à logico tyrone, etiam mediocriter inſtructo in Summulis Syllogiſmorum, & in ipſis Syllogiſmis. Verùm, ne videar calumnioſè aſſumere, quod non poſſim probare; duco te ad textum tuum in dicto proludio, in quo gloriaris te corrigere Lectorem Jubilatum, & docere rudimenta Summularum in parte Philoſophiæ tractante de Syllogiſmis.

Quæris igitur primò à Reverendo Admodùm P. de Alva, an noverit quid ſint tres illi termini Syllogiſtici, quibus conſtare debet Syllogiſmus ſeu argumentum? Et hoc quæris eà occaſione, quòd in ſuo Nodo Indiſſolubili fecerit, juxta te, Syllogiſmum in quatuor terminis Ad quod non ſe humilians, prout illi affingis, ſed tuam inſcitiam expiſcans, reſpondet in hunc modum: *Lector ille Iubilatus & à vobis ſuggillatus ſcit quid ſit argumentum, & quòd debeat conſtare tribus ſolum terminis, ſcilicet Majori, Minori, & Conſequentia: omnia iſta à multis annis didicit & docuit Lector ille Iubilatus minor.* Ad quam reſponſionem (ironicam ſeilicet, ut tibi conſtare debuiſſet ex iſta particula, *ſcilicet*: maximè eo attento, quòd apud vos, in hac Figura habeatur familiaris) tu ſicut leo paratus ad prædam: *Itanè verò hoc à multis annis docuit Lector aliquis Iubilatus minor? ego verò Philoſophiæ Lector non ſic: in Philoſophia enim Thomiſtica, imò & quacumque alia, hic ſaltem in Belgio, tres termini Syllogiſtici, non tres Propoſitiones quibus conſtat ſyllogiſmus, ſeu non*

Maior,

Maior, Minor & CONSEQVENTIA. Hæreo, Pater Lector, ad hæc ultima verba, *Seu non Major, Minor & CONSEQVENTIA*: & à te peto explicationem hujus Summulæ, *ſeu*; uti ùm illa non importet identitatem inter illas tres Propoſitiones, quibus conſtat Syllogiſmus, & res ſignificatas per has Summulas, *Major, Minor, & CONSEQVENTIA*? ſi neges, advocabo Figuriſtam qui convincat Summuliſtam: ſi affirmes, produco ex quacumque ſchola Philoſophica in Belgio à Thomiſtica diſtincta juvenculum tyronem, qui convincat Philoſophiæ Lectorem. De primo, non dubito quin admittas Summulam, *ſeu*, importare identitatem; ac proinde ad ſecundum procedo.

Suppoſito quòd Summula, *ſeu*, importet identitatem, ſequitur juxta tuam doctam correctionem, quòd Conſequentia ſit Propoſitio: atqui nullus eſt Logicus mediocriter de Summulis argumentorum inſtructus in ſchola à Thomiſtica diſtincta, qui non ſciat, Conſequentiam non eſſe Propoſitionem; ergo ſi Summula, *ſeu*, importet identitatem (quod negare non potes) poſſum producere juvenculum tyronem, qui te convincat Philoſophiæ Profeſſorem. Non vendo tibi hanc argumentationem pro Syllogiſmo in *Darii*, quo frequenter uteris, ſed malè: quia fortè diceres quòd ego mutem terminum, *produco*, in terminum, *poſſum producere*; ſed vendo pro probativa meliùs probante, quàm tua argumenta, quæ jactas continuò concludere in illo modo. Probo itaque Majorem. Qui dicit: tres termini Syllogiſtici non ſunt tres Propoſitiones, quibus conſtat Syllogiſmus, *ſeu non Major, Minor & CONSEQVENTIA*; licèt directè tantùm neget tres terminos Syllogiſticos eſſe tres Propoſitiones, quibus conſtat Syllogiſmus, *ſeu non Major, Minor & CONSEQVENTIA*: certè tamen indirectè affirmat, tres Propoſitiones eſſe eaſdem cum Majore, Minore & Conſequentia; quia ſupponitur, & verum eſt, Summulam, *ſeu*, importare identitatem inter tres illas Propoſitiones, quibus conſtat Syllogiſmus, & Majorem, Minorem & Conſequentiam. Nec hìc ſubterfugere potes, dicendo quòd P. de Alva dixerit, Syllogiſmum debere conſtare tribus tantùm terminis, *ſcilicet Majori, Minori & Conſequentiâ*: quia in primis non poſuit Summulam, *ſeu*, ſed particulam, *ſcilicet*; deinde nullam fecit mentionem de Propoſitionibus quibus conſtare debet Syllogiſmus: ergo voluiſti ſolùm illum arguere imperitiæ in Summulis, quòd pro terminis allegaverit Propoſitiones, inter quas tu, non ipſe, reponis *CONSEQVENTIAM*.

At dices: Putavit P. de Alva, illa eſſe eadem, *termini Syllogiſtici*, &, *propoſitiones Syllogiſticæ*: quia cùm ſit Lector Theologiæ Jubilatus, illa prima rudimenta Summularum apparenter eſt oblitus, & tantùm remanſerunt ipſi ſpecies *Majoris, Minoris*, quæ indifferenter ſonant Terminos & Propoſitiones: & cùm frequenter audiret mentionem Conſequentiæ, poſuerit illam pro Termino, non diſtinguens inter Terminum & Propoſitionem; adeoque quòd iſtud, *ſeu*, poſueris ad mentem Patris de Alva, quando dixiſti quòd tres termini Syllogiſtici non ſint tres Propoſitiones, *ſeu Major, Minor & Conſequentia*.

Verùm, mi bone, ſi erat hæc mens tua de Patre de Alva, cur illam non explicaſti, dicendo ad illam reſponſionem Patris de Alva; *Lector ille Jubilatus & à vobis ſuggillatus ſcit quid ſit argumentum, & quòd debeat conſtare tribus ſolùm terminis; ſcilicet, Majori, Minori & Conſequentiâ*? cur, inquam, non explicaſti dicendo: *Itanè verò hoc à multis annis docuit Lector aliquis Jubilatus minor? ego verò Philoſophiæ Lector non ſic; in Philoſophia enim Thomiſtica & quacumque alia, hîc ſaltem in Belgio, tres termini Syllogiſtici, non tres Propoſitiones quibus conſtat Syllogiſmus, ſeu non Major, Minor & Conſequentia*: quas falsò putas eſſe Propoſitiones, cùm reverà Conſequentia non ſit Propoſitio, non diſtinguens Propoſitiones à Terminis? Si hoc ultimum addidiſſes, quod non poteras facere ſine impertinentiſſima fictione; credidiſſem te non habere Conſequentiam pro Propoſi-

Propoſitione, ſed deceptum eſſe in interpretanda mente Patris de Alva, de qua nihil minùs ex ejus verbis licet ſomniare, quàm quòd voluerit Conſequentiam eſſe Propoſitionem: undè manet, quòd tu putaveris Conſequentiam eſſe Propoſitionem, quando dixiſti; *Tres termini Syllogiſtici, non tres Propoſitiones quibus conſtat Syllogiſmus, ſeu non Major, Minor & Conſequentia.* Et ne longior ſim in probatione Majoris, procedo ad Minorem, quam ſic probo.

Nullus eſt Logicus mediocriter inſtructus in Summulis Syllogiſticis, quin benè ſciat, Conſequentiam, & Conſequens ſeu Concluſionem, eſſe diſtincta: quandoquidem, ſi agatur de concedendo, negando vel diſtinguendo, inter prima principia doceantur Logici, nunquam diſtinguere Conſequentiam, ſed benè Conſequens: ut in uno ſenſu admittatur vel negetur Conſequentia, in altero fiat oppoſitum.

Reſpondebis forſitan: In ſchola Thomiſtica, quam libenter tecum accipio, illa eſſe eadem, *Conſequens*, &, *CONSEQUENTIA*; aut ſaltem poſſe ſic ſumi, ut aliquando ſint eadem. Penès te ſit teſtimonium tuum: non repugno, quia illius Scholæ Profeſſor es; cuilibet autem in ſua arte credendum: ſed contendo ſaltem te malè dixiſſe, etiam *in quacumque alia Philoſophia, hîc ſaltem in Belgio* (quod putem te addidiſſe, quia Philoſophia Patris de Alva eſt Hiſpanica, non Belgica) *tres terminos Syllogiſticos non eſſe tres Propoſitiones quibus conſtat Syllogiſmus, ſeu non Major, Minor & CONSEQUENTIA*) in quo præſumptuosè ad octo, quaſi omnes Philoſophias Belgicas audieris vel legeris, falſiſſimè imponis, *in quacumque Philoſophia, hîc ſaltem in Belgio*, doceri, Conſequentiam eſſe Propoſitionem. Ecce probata eſt Minor: *Quid interea ad hanc Conſequentiam, quæ in Darii* æquivalenter *infertur*, Reverende P. Lector? ſed de hoc audiemus te iterùm poſteà.

Audiamus modò inaniter exultantem pro victoria quam exiſtimaveras te reportaſſe de imperitia Patris de Alva in hac parte Philoſophiæ de Summulis Syllogiſticis: ſic enim habes in tuo textu ejuſdem proludii; *Quòd ſi in hac parte Philoſophiæ quidam ignarus Lector docuerit Theologiæ Lectorem Iubilatum rudimenta Summularum, non propterea inaniter exultat; hoc ſolo contentus, quòd in hoc ſaltem puncto inventus fuerit non ignarus.* Quòd quàm inanis & vana fuerit exultatio tua, inde patet: quòd in eo ipſo puncto in quo putabas eſſe gnarus, inventus ſis ignariſſimus, dum volens corrigere *Magnificat*, ne quidem ſciveris cantare *Gloria Patri*. Pergo ad alium errorem tuum non minùs craſſum & ſtupidum.

Poſtquam ſic inaniter exultaveras, dicis: *Deficerem in probatione* (quâ ſcilicet jactaveras te in initio tui proludii probaturum, quòd Pater de Alva in Introductione Operis ſui, *indoctè uſque ad ſtuporem* confeciſſet argumentum ſeu Syllogiſmum in quatuor terminis, contra omnem artem Syllogiſticam) *Deficerem*, inquam, ais, *in probatione, ſuppoſito quòd in ſchola Scotiſtica tres termini Syllogiſtici eſſent tres propoſitiones Syllogiſticæ, cum totidem & non pluribus conſtet Syllogiſmus tuus:* quo tuo dicto te ipſum involvis, & defeciſſe in probatione apertè fateris. Quòd ſic oſtendo: quicumque admittit in aliquo Syllogiſmo tres tantùm propoſitiones Syllogiſticas, neceſſariò etiam admittit tres tantùm terminos: atqui tu admittis in Syllogiſmo Patris de Alva tres tantùm propoſitiones Syllogiſticas; ergo etiam admittis tres tantùm terminos Syllogiſticos in eodem Syllogiſmo.

Major probatur: quia quicumque admittit tres tantùm propoſitiones Syllogiſticas in aliquo argumento, admittit tres tantùm Propoſitiones conſtituentes Syllogiſmum (hæc enim eſt definitio propoſitionis Syllogiſticę *in omni Philoſophia, hîc ſaltem in Belgio à Thomiſtica diſtincta*, vel ſaltem à tua Salmantica) atqui quicumque admittit tres tantùm Propoſitiones conſtituentes Syllogiſmum, admittit tres tantùm terminos: ergo, &c. Probatur hæc Minor; quia ſi illæ

Digitized by Google

Propoſitiones conſtarent pluribus terminis quàm tribus, non eſſent Syllogiſticæ: & ita non conſtituerent Syllogiſmum, ſed aliam ſpeciem argumentationis. Nec hìc effugies dicendo, quòd ludam in æquivoco circa notionem propoſitionis Syllogiſticæ;quia cùm debeant Summulę capi in proprio ſenſu,niſi quid aliud obſtet, quod hìc nihil eſt, niſi fortè tua interpretatio Thomiſtica:ſequitur quòd tali modo ſit ſumenda propoſitio Syllogiſtica in Syllogiſmo Patris de Alva,in quo admittis tres tantùm propoſitiones Syllogiſticas.

Probatur Minor prioris Syllogiſmi ex ipſo tuo textu præcitato; in quo dicis defecturum te in probatione, ſuppoſito quòd in ſchola Scotiſtica tres termini Syllogiſtici eſſent tres propoſitiones Syllogiſticæ, cùm totidem & non pluribus, admittas conſtare Syllogiſmum dicti Patris. Quid ad Conſequentiam, R. Pater, quâ infertur, *in quacumq; Philoſophia, hîc ſaltem in Belgio à Thomiſtica diſtincta*, illam argumentationem quæ conſtat tribus tantùm propoſitionibus Syllogiſticis, etiam conſtare tribus tantùm terminis Syllogiſticis? Quantò melius proceſſiſſes ſtatim ad rem, de qua poſteà circa tuum Syllogiſmum in *Darii*; his non prænotatis quæ ibidem in textu tuo neceſſariò dicebas prænotanda. Profectò plurimùm honori tuo conſuluiſſes, ſi hæc neceſſariò tibi omittenda omiſiſſes. Dico igitur ego;

His neceſſariò prænotatis (deficerem enim in probatione, ſuppoſito quòd in ſchola Thomiſtica, Conſequentia eſſet Propoſitio, & in illa argumentatione in qua ſunt tantùm tres propoſitiones Syllogiſticæ, non eſſent tres tantùm termini Syllogiſtici) *His*, inquam, *neceſſariò prænotatis, procedo nunc ad rem. Sed, ut ſuſpicor, antecedenter & tu interpellas me*, quòd ego tam liberaliter utar tuo textu. Sed mirari non debes; quia multùm ad rem meam facit, & tibi non diſplicere ſcio, eo attento quòd in illo ſequatur materia cenſuræ tuæ, ſi non in Philoſophia, ſaltem in Syntaxi. Subiicis enim quòd Pater de Alva in Nodo ſuo te quoque interpellaverit dicens: *Quòd viciſſim aliquid deſiderat ſcire Lector ille Iubilatus minor, à Profeſſore iſto Philoſophiæ majore, qui docet rudimenta Summularum (LECTORIBVS IVBILATIS) ut videlicet dicat, quot funiculos debeat habere nodus?* ubi tu verba illa, *Lectoribus Iubilatis*, ſignas ſpeciali charactere propter tuam parentheſim, in qua dicis te negligere Syntaxim, juxta quam, *Doceo*, regit accuſativum: ſed profectò benè dixiſti, *neglectâ Syntaxi*, quia puto quòd illam eodem modo didiceris ſicuti tuam Philoſophiam Thomiſticam; nec puto ſolùm, ſed probo: quia ſi Syntaxim didiciſſes, vidiſſes in conſtructione Patris de Alva, Accuſativum, *rudimenta*, quem regit verbum, *Doceo*; adeoque non ſuggillaſſes ejus Syntaxim, dicendo quòd verbum, *Doceo*, regat accuſativum, cùm reverà etiam regat in illa ejus conſtructione.

Sed ut te doceam Syntaxim; vis dicere, quòd, *Doceo*, regat duos accuſativos, unum rei & alterum perſonæ, adeoque malè poſuiſſe Lectorem Jubilatum, quòd doceres rudimenta Summularum *Lectoribus Iubilatis*. At pudet me quòd Syntaxeos ſis adeo rudis, ut ejus tantùm ſcias dimidiatam regulam, nempe illam quæ dicit, *Doceo*, regere duos accuſativos: & quòd debeam te docere integram aliam regulam, quæ dicit, quòd omnia verba (etiam, *Doceo*) admittant dativum ejus perſonæ, cujus gratiâ, commodo vel incommodo aliquid fit. Quòd ſi in illa regula non diceretur, *incommodo*, fortaſsè eſſes excuſabilis in corrigendis Lectoribus Jubilatis: quia non intendis gratiam aut commodum ipſorum, dum illos corrigis, ſed potiùs incommodum, quod reverà nullum eſſet, etiamſi omnes tuæ correctiones eſſent à correctione immunes. Interim, licèt non intendas gratiam aut commodum Lectori Jubilato, intendit tamen ipſe ſibi illud commodum à te, qui tam inſigniter illum docuiſti rudimenta Summularum; ut inſuper doceas quot funiculos debeat habere nodus, non *Lectorem Iubilatum*, quippe cujus ſcientia verſatur in conficiendis nodis, ſed *Lectori Iubilato*, hoc eſt, commodo Lectoris Jubilati:

Digitized by Google

lati:ut à te, ex propria confeſſione ſcire poſſit, an noveris quid ſit nodus Theologicus,& quot funiculis debeat conſtare.

At quàm bellè hoc facias, dum ad ejus petitionem ſub diſtinctione reſpondes, patet ex textu tuo,in quo diſtinguis inter funiculos nodi qui eſt Syllogiſmus, & nodi qui non eſt Syllogiſmus, & ſic magiſtraliter reſolvis; *Nodum aliquem qui ſit Syllogiſmus, non niſi tribus,qui Syllogiſmus non fuerit,poſſe conſtare etiam quatuor.* Pergis & dicis: *Non poſſum malè pro priori ſaltem parte diſtinxiſſe,cùm apud te* (Lectorem Jubilatum alloqueris) *etiam,uti jam vidimus,in confeſſo ſit,quemcumque Syllogiſmum (qui hoc ipſo quo Syllogiſmus eſt, etiam nodus quidam eſt)* NON POSSIT *conſtare niſi tribus terminis.* Negligo hîc Syntaxim, juxta quam verbum, *Poſſum*, conjunctivi modi habet ante ſe nominativum: undè,ut iterum te & tibi doceam Syntaxim, qui vis eam docere *Lectores Iubilatos*, non autem *Lectoribus Iubilatis*; debueras ſic dicere, *in confeſſo ſit,* QVOD *quicumque Syllogiſmus (qui hoc ipſo,&c.) non poſſit*: vel ſi volebas retinere tuum accuſativum, utpotè elegantiùs poſt verbum, *ſum*, imperſonaliter ſumptum, debueras ſic dicere : *in confeſſo ſit,quemcumque Syllogiſmum (qui hoc ipſo,&c.)*NON POSSE. Sed apparenter,tua longa parentheſis,nempe *(qui hoc ipſo,&c.)*te ita diſtraxit, ut præcedentium non fueris recordatus dum perveneras ad ſubſequentia,plus cogitans de Nodis quàm de Conſtructionibus,de quibus tamen cogitare debueras, qui in iis Corrector eſſe volebas.

Pergis itaque ex primo membro tuæ diſtinctionis ad probationem Aſſumpti tui, in initio tui proludii; nempè Patrem Jubilatum feciſſe Syllogiſmum in quatuor terminis, *in quo tamen*,ut dicis,*rotatur velut in cardine totus nodus* ejus;& ſic ais:*Omnis ille format Syllogiſmum in quatuor terminis,qui ponit aliquem terminum in Concluſione,qui non fuit in Præmiſſis:atqui P. de Alva formavit hujuſmodi Syllogiſmum; ergo,&c.* Quid,&c. Pater Lector? perge, perge, infer formaliter Conſequens ex tuis Præmiſſis. Quid hæres? non potes forſitan? volo te juvare? Sed indignaris opem ab alio offerri Philoſophiæ Lectori,in complementum Syllogiſmi. Ad redimendum nihilominùs tempus, quo *ad metam non loqui* in hac parte es reductus, tentabo nùm poſſim Syllogiſticè inferre quod aſſumpſiſti probare: ne tamen excidat textus tuus dum id facere molior, pergo in illo: *Probatio Minoris*, inquis, *videatur in hoc libello* (cui hoc proludium præmittis) *fol.7.& 6.Quid interea ad hanc Conſequentiam quæ in DARII directè infertur,Pater Reverende* (Patrem de Alva alloqueris.)

Reſpiraſti Pater Lector tempore quo in textu tuo perrexi? infer quæſo in *DARII*, modum tuum tibi ſuggeſſi,cujus fortaſſis eras oblitus:infer,inquam;quòd ſi feceris,procul dubio rem mirabilem enodaveris. At hæres,& magis ac magis hæres,quia Nodo Indiſſolubili innodatus es. Iuvo ergo te, quia piget me tam diu expectare: quod ut faciam,Præmiſſas tuas repeto, non dico Syllogiſticas, quia tua argumentatio ſi ſit nodus, reverà non eſt talis qui ſit Syllogiſmus: repeto ergo:*Omnis ille format Syllogiſmum in quatuor terminis,qui ponit aliquem terminum in Concluſione,qui non fuit in Præmiſſis : atqui P. de Alva formavit hujuſmodi Syllogiſmum*; infero ego formaliter loco tuo: ergo Pater de Alva. Hæreo Pater Profeſſor, quia non invenio majorem Extremitatem & minorem,quæ,quòd cùm Medio fuerint unitæ in præmiſſis,in Concluſione uniantur inter ſe: quod ſic oſtendo,reſolvendo tuas Præmiſſas in terminos formales: *Omnis ille eſt formans Syllogiſmum in quatuor terminis, qui eſt ponens aliquem terminum in Concluſione,qui non fuit in Præmiſſis.* Ubi nota, quòd Subjectum ſit ſubintellectum ad vocem, *ille*, v. g. homo, & Prædicatum ſit participium, *formans*,cum omni eo quod ſequitur poſt verbum, *eſt*, primo loco poſitum *(ſic enim docetur in omni ſchola, hîc ſaltem in Belgio*,à Thomiſtica diſtincta) ad Minorem; *atqui Pater de Alva eſt formans hujuſmodi Syllogiſmum*: ubi, *Pater de Alva*,eſt Subjectum, &, *for-*

Digitized by Google

mans bujuſmodi Syllogiſmum, eſt Prædicatum. Aſſigna ibi, Pater Lector, tres prædictos terminos; unus terminus eſt Subjectum, *ille*, alter, *formans Syllogiſmum in quatuor terminis, qui eſt ponens aliquem terminum in Concluſione, qui non fuit in Præmiſſis*, tertius eſt, *Pater de Alva :* ſed nunquid reſtat adhuc unus terminus? quid ſequitur copulam Minoris, Pater ? nunquid hoc, *formans bujuſmodi Syllogiſmum ?* ergo ſunt quatuor termini in tuo Syllogiſmo.

Non, dices: quia in iſto, *bujuſmodi*, includitur reliquum Prædicati Majoris. Itanè Pater Lector ? reddes ergo hunc ſenſum Minoris ; *Atqui P. de Alva eſt formans Syllogiſmum in quatuor terminis, qui ponit aliquem terminum in Concluſione, qui non fuit in Præmiſſis.* Præclarum profectò ſenſum ! cùm potiùs dixiſſe debueras : *Atqui Pater de Alva eſt formans bujuſmodi Syllogiſmum, nempe in quatuor terminis;* & ſi reliquum addere volebas, non debuiſſes ponere, *qui*, ſed, *quia*, ut eſſet ſenſus, *Quia ponit aliquem terminum in Concluſione, qui non fuit in Præmiſſis:* & ſi ſic dicas, nunquid invenies adhuc quatuor terminos ? relinquam te hoc examinare cum tuis diſcipulis in tua ſchola Thomiſtica.

Supponamus interim, in tuo Syllogiſmo eſſe tres tantùm terminos: infer mihi, Pater, directè tuam Concluſionem in *Darii*. Hæres iterum. Videtur mihi quòd potiùs diſpoſitio tuarum Præmiſſarum accedat ad ſecundam Figuram, quàm ad primam, eò quòd non poſſis invenire aliud Medium quàm ex parte Prædicati utriuſque Præmiſſæ: reſtat ergo ut dicas, Syllogiſmum tuum non eſſe in *Darii*, ſed in aliquo modo ſecundæ Figuræ. Sed in quo, Pater Profeſſor ? nunquid in ſecunda Figura omnes modi ſunt negativi ? ſi legiſſes omnes Philoſophias quæ traduntur *hic ſaltem in Belgio*, poſſes te forſitan ſalvare in aliquo modo innominato : dico, forſitan; quia libenter tunc à te diſcerem, qualiter ſumatur Medium in tuis Præmiſſis, an ſaltem ſemel diſtribuatur ? apparet mihi bis accipi particulariter. Si hoc ſufficiat ad verificationem Medii cum quo fuerunt unitæ Extremitates in Præmiſſis, ad hoc ut unirentur inter ſe : ſi, inquam, ſufficiat in ſchola Thomiſtica, non ſufficit in ulla alia, *hic ſaltem in Belgio.*

Interim, ſive ſequatur Syllogiſticè ſive Thomiſticè, infero nomine tuo, *Ergo omnis ille eſt Pater de Alva:* quis ille ? qui facit Syllogiſmum in quatuor terminis.

Sic aſſumo, Pater Profeſſor ; ſi Pater de Alva ſit omnis ille qui facit Syllogiſmum in quatuor terminis, & Pater Elinga ſit ille qui facit Syllogiſmum in quatuor terminis; ergo Pater de Alva eſt Pater Elinga : atqui demonſtratum eſt quòd Pater Elinga fecerit Syllogiſmum in quatuor terminis ; ergo ſi poſſit demonſtrare P. Elinga, quòd P. de Alva fecerit Syllogiſmum in quatuor terminis (quod nondum demonſtravit) infero ego, quòd Pater de Alva ſit P. Elinga. Solve hunc nodum, Pater. Indubiè P. de Alva, cujus eſt nodos ſolvere & inſolubiles reddere, poterit hunc ſolvere, ut P. de Alva non ſit P. Elinga. Soleſne P. Profeſſor in ſchola Thomiſtica ſic docere Syllogiſmos ? ſed nondum ſtatim finis. Jam egimus de Syllogiſmo formaliter ſumpto, agamus deinceps de probativo; & videamus utrùm acceperis debitam materiam, ſive Antecedens probativum, ut probares ex illo tuum Aſſumptum.

Aſſumpſeras in initio tui proludii, ut diximus, probare P. de Alva feciſſe Syllogiſmum in quatuor terminis, in quo velut in cardine rotaretur totus ejus nodus : quomodo hoc probas ? *In quacumque Philoſophia, hic ſaltem in Belgio* à Thomiſtica diſtincta, illud quod aſſumitur probandum, eſt Conſequens Syllogiſmi probativi. Poſuiſtinè implicitè ſub iſto, *ergo*, hoc Conſequens, *P. de Alva formavit Syllogiſmum in quatuor terminis* ? apparet mihi quòd poſueris loco minoris Præmiſſæ, ac proinde quòd ſumpſeris pro motivo ad probandum, id quod tibi incumbebat probare. Sed dices fortè, quòd ego valdè liberaliter aſſumam tuas partes, ad reddendum ſenſum tuarum Præmiſſarum, reſolvendo illas in terminos formales: & quòd ille

non

Digitized by Google

non ſit quem dedi,ſed poſſit alius dari, juxta quem Syllogiſmus concludat in *Darii*, & quidem probativè inferendo illud quod tibi eſt probandum

Reſumo ergo denuò in tui gratiam Præmiſſas tuas, & inveſtigo omnem pœnitùs modum quo poſſit hoc preſtar: *Omnis ille format Syllogiſmum in quatuor terminis,qui ponit terminum in Concluſione,qui non fuit in Præmiſſis;atqui P.de Alva format hujuſmodi Syllogiſmum:*voluiſti fortè ſic conſtruere Majorem:*Omnis ille qui ponit terminum in Concluſione,qui non fuit in Præmiſſis, format Syllogiſmum in quatuor terminis.* Si non voluiſti ſic dicere, certè turpiter erraſti; quia debebas ſic dicere: Subſumo Minorem,tuam,non meam,quia non eſt ulla apparentia quòd poſſit habere alium ſenſum excuſabilem niſi quem verba præſeferunt: *atqui P.de Alva formavit hujuſmodi Syllogiſmum*; conclude,Pater,ſi poſſis,ex Præmiſſis ſic conſtructis,& fac Syllogiſmum in *Darii*, probativum tui Aſſumpti: *procul dubio rem mirabilem enodaveris.*

Jam cernis, ni fallor, R.P. Profeſſor, quàm rectè dixerit R.Admodùm Pater de Alva in Nodo ſuo Indiſſolubili (quo intricatus manes & manebis cum tuis Magiſtris & diſcipulis) quòd præſtitiſſet ſi libellus hic tuus fuiſſet divulgatus ſub nomine alicujus Laici ſeu Fratris Converſi: ne non ſolùm Doctiores tui Ordinis viri,ſed nec Philoſophiæ veſtræ Profeſſores cenſerentur ignari, cùm jam non ex ſolo nomine, ſed & in re deprehenderim te Profeſſorem Philoſophiæ ignarum; dum in duabus tantùm paginis dicti proludii tui detexi tuos errores groſſiſſimos &ſtupidiſſimos non ſolùm in Philoſophia, in qua Profeſſoris nomine gloriaris, ſed & in ipſis rudimentis Summularum Philoſophiæ, quarum arrogans Doctor es: & in quibus *velut in cardine rotatur* tota præſumptio tua; & in ipſa Syntaxi, cujus neglector, per Præteritionem ironicam,haberi vis.

Fatêre igitur,*te vallatum eſſe non ſolum antè,à retrò & in medio*,ſed & à lateribus:atque in hac parte,in qua volebas Lectores Jubilatos docere,te reductum eſſe *ad metam non loqui*.Nec indignèferas, quòd Patris de Alva in hac materia Philoſophica partes egerim; quia ejus tempori, quo in conficiendis nodis Theologicis pro Immaculata Conceptione indiget, parcere volui:nec putavi illum dignaturum nugas tuas reſponſione, quæ tamen meo ſcopo non ſunt nugæ, qui Philoſophiæ vaco, non Theologiæ. Satisfeci nihilominùs tertiæ tuæ admonitiunculæ, quam in eodem proludio tuo facis ad eundem P. de Alva, dum dicis: *Vt ſi reſpondere volueris huic libello meo, non arripias minima quædam puncta difficultatis,ſeu quæras nodum in ſcirpo, urſurus v.g. quòd ſubinde erraverit Typographus in citationibus, & non raró in impreſſione, &c. ſed arripias puncta ſubſtantialia, &c.* ſatisfeci, inquam, huic admonitiunculæ, ſaltem quoad materiam hujus proludii,quæ tota Summuliſtica,Syntaxiſtica ac Philoſophica eſt; *cujus non arripui minimæ quædam puncta difficultatis, ſed puncta ſubſtantialia,* v.g. corrigere errantem Correctorem in Summulis, in regulis Syntaxis, in conficiendis Syllogiſmis,non tantùm formaliter, ſed etiam materialiter & probativè: quæ omnia erant præcipua puncta tui proludii; ut apud pueros exauctorares eos, quos nondum exauctoraſti nec exauctorabis: ſed manebis tu apud omnes ſenſatos, hoc meo ſcripto exauctoratus,ſaltem in materia Philoſophica,imò & apud tuos diſcipulos;niſi audias monitionem Patris de Alva,qui in ſuo Nodo te ablegat ad ſcholam tuam,dicens: *Pater Profeſſor,pulſatum eſt ad ſcholam: quia liber iſte* (nempè Nodus Indiſſolubilis) *non vocatur nec agit de argumentis,ſed de Nodis.* Quòd ſi volueris oſtendere, in ejus diſcurſu eſſe quatuor terminos, noli pulſum iſtum facilè dimittere, ut attendas ad ſonum reſponſionis ejus, tranſcendentem captum tuum; ſed vadas ſtatim ad ſcholam Syllogiſmorum ſeu argumentorum,& ibi te exercebis: ut poſſis demonſtrare quod intendis, aut certè,ſi non poſſis, diſcas facere alios Syllogiſmos, quàm feceris. Altiora te ne quæſieris. *Vale.*

Aperias,

Aperias, P. Lector, oculos: nam Patris de Alva Nodus talis eſt. Scriptores Ordinis Prædicatorum dicunt, ſcribunt ac defendunt Doctrinam ſui Angelici Doctoris, ſeu conceptum mentis S. Thomæ Aquinatis, fuiſſe *purum, ſanctum, immaculatum, ſinè ullo prorsùs nævo, errore, maculâ aut defectu à ſuo principio, &c.* Sed Conceptum ventris, Beatiſſimæ Matris MARIÆ, ſeu animam illius in primo ſuæ animationis inſtanti, fuiſſe *impuram, maculatam, ſordidam, pollutam, cum errore, & nævo peccati originalis, &c.* Ac videas an iſtæ duæ Propoſitiones ſint falſæ, & ſigna qualis illarum: & ſi ſint veræ cum Syllogiſmo vel ſinè illo, in duabus Propoſitionibus, ut eſt in tribus vel quatuor terminis, ut proponis, ſolve Nodum: hoc enim à te & à veſtris quæritur. Hoc idem dico P. Auctori *Epiſtolæ Apologeticæ* in lucem datæ Bruxellis apud Mommaert die 20. Februarii, in decem chartis. Sed iſte, quia religiosè loquitur, & abſque mendaciis ac ſcommatibus impugnat, meretur ut non à Summuliſta corrigatur, ſed ut ab aliquo Theologo congruam vel peremptoriam accipiat ſatisfactionem, *non declinando ad dexteram vel ſiniſtram*, ut ipſe petit; ſed oſtendendo ei recto tramite viginti & unum à ſe notatos non eſſe *erro*, ſed *res*, nec *falſitates*, ſed *veritates*: ut ſuo tempore videbitur.

MC